



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiae Venusinae, ac deinde Aesinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad
Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,
Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon
Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ
formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum
requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, &
ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea,
plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

Denunciationis Form. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

Etis, dicimus, & declaramus, esse locum exequutioni Sponsalium, & eundem Cajum teneri, & obligatum esse ad contrahendum matrimonium cum dicta Sempronia, & ad illud cogendum *Ecclesiastica Censura*; prout nos adhuc effectum excommunicamus & excommunicatum publice denunciari volumus, donec juris jurandi religione adimpleat, dictam Semproniam ducat in uxorem, & exeat à peccato: cedulones decernimus, & publicari mandamus omni &c.

N. Episcopus (sive Vic. Gen.) N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

S U M M A R I U M.

- 1 Promittens Sponsalia, cogitur censuris contrahere matrimonium, etiamsi promiserit sine juramento, & n. 6. 7. 8.
- 2 Qui promissit Sponsalia, & matrimonium contrahere recusat, est monendus cum præfixione termini, & datur formula monitionis n. 3.
- 4 Causæ justæ recedendi à sponsalibus quæ sint, ostenditur.
- 5 Impedimentum consanguinitatis in 4. & 5. gradu, non indiget dispensatione.
- 6 Sponsus, qui substituit censuras, & noluit matrimonium contrahere, an teneatur Sponsam dotare ostenditur.

- 10 A sententia declaratoria, qua quis censura compellitur matrimonium contrahere, datur appellatio ad utrunque effectum.
- 11 Excommunicationis finis, est, ut reus exeat à peccato: qui enim alio contorto sine movetur ad hanc pœnam, inferendam gravissimè peccat.
- 12 Judex, qui excommunicat juris ordine non servato, & per imperitiam est ab officio removendus, & extra ordinem puniendus.
- 13 Episcopi fulminantes censuras per Sordes, & ut inde lucrum faciant sunt a regimine removendi, quia minime periculum destructionis.

Denunciationis

F O R M U L A X X X.

Hic auctoritate ordinaria denunciatur, & declaratur excommunicatus majori excommunicatione Cajus ex eo, quia contracti per eum Sponsalibus de futuro juramento vallatis cum Sempronia, nulla interveniente rationabili causa recedendi, & per nos ad instantiam dictæ Semproniæ monitus, jurisjurandi religione neglecta, promissa adimplere, & matrimonium contrahere renuit. Ut igitur ab omnibus evitetur, præsentibus jussimus publicari, & anathema erit; donec exeat à peccato, & Semproniam in Uxorem ducat. Datum &c.

N. Episcopus, sive Vic. Gen. N.

Loco ✠ Sigilli.

N. Actuarius.

Con-

V E L

Con autorità ordinaria, si dichiara, e denuncia Scommunicato di scomunica maggiore Cajo, perche havendo contratto gli Sponsali de futuro con Sempronia, e promesso con giuramento d' eseguirli col matrimonio: citato da noi ad istanza di detta Sempronia à contraere il matrimonio, ha ricusato, e ricusa d'effettuarlo, benchè non habbia nessuna causa di rifiutarlo, onde non potendo noi dissimulare l'ingiuria, ch' egli fa al giuramento, & alla Chiesa habbiamo ordinato, che siano affissi i presenti Cedoloni, e vogliamo, che stia scomunicato, sin tanto, ch'avrà obedito. Dato &c.

N. Vescovo (ò Vic. Gen.) N.

Luogo del ✠ Sigillo.

N. Attuario.

ADNOTATIONES.

SUB JURAMENTO. Hoc dicitur ad exprimendum casum minus dubitabilem, ut in textu: cæterum licet hic fermo sit de Sponsalibus juratis, idem tamen jus obtinet etiam in non juratis, quia resiliens à Sponsalibus cogendus est non ob juramentum, sed propter injustitiam, quæ committitur in materia gravi sub peccato mortali: sive Sponsalia sint jurata, sive non; nam prædictum cap. non innititur juramento, sed narrat, quod in facto contigit. Ratio universalis est, quia Juxta tenetur ex officio compellere ad reddendum unicuique, quod suum est, vel ex justitia illi est debitum, ergo qui promisit alicui matrimonium, potest cogi ad illud contrahendum, etsi simpliciter, & sine juramento promiserit, quia ex justitia est obligatus ad adimplendum id, quod promisit: quamvis Ecclesia magis studiosè compellat eum, qui per juramentum Sponsalia firmavit propter majus vinculum religionis adjectum, Sanch. de Matrim. lib. 1. disp. 29. n. 4. ubi de veriori Sententia, quem cum aliis pluribus sequitur Pirhing. in jus can. lib. 4. tit. 1. n. 17. & 18. Rot. coram Seraphin. decis. 1112. num. 1. & 2. & coram Cavaler. decis. 421. num. 2. & dec. 526. n. 1. Adden. ad Greg. dec. 376. lit. A.

Monacel. Formul. Pars III.

Ac monitione. Debet enim ille, qui recusat matrimonium contrahere, & à Sponsalibus recedere nititur, judicialiter moneri cum præfixione termini ad contrahendum sub pœna excommunicationis, & sub prohibitione, & inhibitione, ne interim cum alia, seu alio contrahere audeat, modo sequenti.

Monetur Caju in termino peremptorio sex dierum, quorum primi duo sibi assignantur ad contrahendum matrimonium cum Sempronia ad formam Sponsalium in vicem contractorum, & juratorum, de quibus in actis, sub pœna excommunicationis: alii duo ad dicendum, & allegandum causam quare non debeat compelli, & excommunicari: alii verò duo ad videndum se excommunicari, & pro excommunicatis publicè denunciari, ipso amplius non monito, & interim sibi inhibetur sub pœna sc. . . . & in subsidium excommunicationis, ne audeat cum alia Muliere (seu Viro) quocumque modo nova Sponsalia, sive matrimonium contrahere &c.

Et auditis excusationibus. Regula supra firmata, nempe, quod contrahens Sponsalia jurata, sive non jurata, cogitur per censuras contrahere matrimonium per verba de præfenti, fallit si concurrat aliqua causa à Sponsalibus recedendi, quæ Judicis arbitrio legitima reputetur, ut habetur ex eod. c. ex litteris de Spons. Rot. coram Pamphil. decis. 96. num.

H 3

num. 2. & coram Buratt. decis. 311. num. 1. Quæ autem dicatur causa justa, & rationabilis resiliendi, dixi in par. 1. tit. 8. ad form. 10. num. 3. hic autem adde, quod si Sponsus sit absens, & valetur extra Provinciam Sponsalia dissolvi possunt: dummodo expectetur per triennium, si verò est in Provincia, expectetur per biennium. Menoch. de arbitr. judic. lib. 2. cent. 5. cas. 445. num. 7. item adde, quod licet odium subortum inter Sponsos pro legitima causa ad impediendam effectuationem matrimonii reputetur, ut ait Menoch. citato loco num. 3. tamen non sufficit allegare odium Mulieris erga virum, vel viri erga Mulierem, nisi adsit justa odii causa, aliàs esset in facultate partium allegare semper odium, ut dixit Rot. coram Coccin. decis. 889. n. 5. sicuti nec relevaret, si rationem odii adduceret pars, quæ injuriam recepit, matrimonii executionem exposceret, Rot. coram Cavaler. d. decis. 421. n. 10. Add. ad Pamphil. d. decis. 96. num. 10. vers. odium.

5 Neque itidem Sponsum, vel Sponsam renuentem excusaret allegatio impedimenti consanguinitatis in quarto, & quinto gradu: cum nulla tunc requiratur dispensatio: deberet tamen Ordinarius antequam ad censuras procederet, Decreto suo declarare, nullum adesse impedimentum ad contrahendum, & Sponsos nulla indigere dispensatione Apostolica, prout fieri solet in quibusdam Diocesisibus, etiam in casu, quo tale impedimentum non allegatur, de qua praxi testatur Corrad. prax. disp. lib. 7. cap. 5. num. 63. & 64.

6 Cogendum Ecclesiastica censura. Quamquam Judex Ecclesiasticus possit multas pecuniarias, interdicto Personali ab ingressu Ecclesiæ, & Carcere, compellere eum, qui promisit matrimonium de futuro, ad illud contrahendum de præfenti: regula tamen est absoluta, ut qui sine legitima causa fidem Sponsalium implere recusat, à Judice prædicto post canonicam admonitionem, possit, ac debeat censura excommunicationis cogi ad contrahendum, Rot. coram Greg. decis. 376. num. 2. siue Sponsalia jurata fuerint, siue non, de qua propositione Rota nun-

quam dubitavit, ut patet ex decisionibus hic supra allegatis.

Neque obstat text. in c. requisivit eod. 7 tit. de Spons. & matrim. in quo dicitur, quod Mulier nolens contrahere matrimonium cum eo, cui id jurata promisit, potius sit monenda, quam cogenda: quia text. iste, vel exponitur quod prius monenda sit, & postea cogenda, si monitioni non acquievit, prout illum declarat glos. ibi in verb. cum libera in fin. Barb. n. 3. Pirhing. loco cit. n. 20. vel intelligatur, quod si Judex post latam excommunicationem, videat Sponsum, vel Sponsam pertinacem manere, debeat ipsum, vel ipsam absolvere, etiam si id non petat: quia Ecclesiæ compulsio ad liberum consensum elicendum adhibetur, non ut invitus ad matrimonium quis adigatur, & sic cogit compulsione moderata ad modum medicinæ, non præcisa, ut explicant Sanch. de matr. d. disp. 29. nu. 7. Pirhing. d. num. 20. Rot. coram Seraphin. d. dec. 1112. num. 2. & 3. & coram Manzaned. dec. 610. num. 1. 2. & 3. ubi absolvitur post biennium, & coram Coccin. dec. 1635. n. 8. Bellett. disp. Cler. de favor. real. §. 2. n. 33. & 34. cum aliis ab Addente ad Burat. decis. 311. n. 5. allegatis.

Nec minus obstat Conc. Trid. sess. 25. 8 de refor. c. 3. ubi dicitur, quod in causis civilibus non sit ab excommunicatione incipiendum, sed ab executione reali: quia Concilium ibi non dat formam, sed instructionem, & nec ibi, nec alibi sustulit censuras, & pœnas à jure communi impositas, & præscriptas, ut jam dixi supra de Concubinarii pœnis.

Hoc tamen casu Sponsus, qui sine causa resiliit a Sponsalibus, & Censuras obstinato corde sustinuit, & absolvit etiam invitus expectavit, debet condemnari ad dandam congruam dotem Mulieri cum qua matrimonium contra fidem datam contrahere recusavit, ut colligitur ex resolutione Sacr. Congr. Episc. quam invenio in meo registro sub die ultima Julii 1584. in una Pistorien. in qua sic retribitur Episcopo - che con pene, & Censure, & ancora con carcere induca quello, che ha promesso il contratto matrimoniale, conforme alla promessa, ma per se-

persistendo renitente, non lo sforzi più oltre, facendo però, che doti la Donna competente-mente. At adverte, quod ista resolutio allegari non potest pro regula universali: sed in illis tantum casibus, in quibus juxta promissionem, potest quis de jure compelli ad dotem, vel arras dandum, ut erat in casu à Cong. deciso, ut non obscure indicant illa verba - *conforme alla promessa*: alias enim si dos solvi deberet in pœnam, aliquis induci posset ad contrahendum matrimonium contra suam voluntatem, & quodammodo coactè, scilicet timore pœnæ solvendæ illud intrare contra expressam dispositionem *text. in c. gemma 29. ibique glos. de spons. & matrim.*

10 *Publice denunciari volumus.* A sententia declaratoria, qua quis Censura compellitur matrimonium contrahere, datur appellatio ad utrumque effectum, si debito tempore interponatur: quia Ordinarius cum decipi potuerit, vel rejiciendo excusationem legitimam non contrahendi, vel sponsalia non probata canonicando: & sic appellantem enormiter lædere; utique appellans, à Superiore est audiendus, ut habetur ex *decis. Cavaler. 447. num. 1.* Judex tamen appellationi deferendo, debet præfigere congruum terminum appellanti ad prosequendam appellationem.

11 *Et exeat a peccato.* Admonetur hic Judex, quod intentio Ecclesiæ, & causa finalis excommunicationis est, ut quis exeat a peccato, ut habetur ex illo Pauli Apostoli 1. Cor. 5. *jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est, tradere Satanae, ut spiritus salvus sit in die Domini, & ex c. novit ille de judic. ibi - nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum, & si correptionem contempserit per distractionem Ecclesiasticam coercere, & infra -- licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, ut peccatorem revocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem, &c.* & Docet D. Thom. in *summ. supplem. 3. part. quest. 21. art. 2. & 3.* ideoque debet advertere, ne alio contorto fine ad ferendam sententiam excommunicationis moveatur, & inducatur,

scilicet prece, pretio, timore, aut odio privato, qui enim per has sordes alium hac pœna gravissima onerat, se ipsum gravat, & condemnat, quia ab officio tam ordinis, quam jurisdictionis (nisi sit Episcopus) ipso jure remanet suspensus, *text. est in c. cum æterni §. Si quis Judex de sent. & re jud. in 6.* cum obligatione resarciendi damna, & interesse, Navar. in *man. confess. c. 25. n. 12.* Sayr. de *conf. lib. 4. c. 13. n. 3.* Guazzin. jun. ad *def. animar. lib. 2. dif. 6. c. 4. n. 12. & 35.*

Qui vero sine, & ordine inverso censuras fulminaret per imperitiam, esset ab Officio omnino removendus, quia nullus potest esse Judex Ecclesiasticus. nisi sit peritus, ut ait *glos. in rubrica Gratiani ad dist. 20. verbo scientia, ibique alia glos. marginales, & Barb. n. 3. Gratian. qui testatur de veriori discept. 186. n. 47. 50. & 51.* & quia imperitia, æquiparatur culpæ, & non parum, peccasse intelligitur, extra ordinem Superioris arbitrio est puniendus, ut docet Menoch. de *arbitr. Judic. lib. 2. centur. 4. cas. 339. n. 1. 2. & 3.*

Episcopi autem, quia suspensionem, vel interdictum non incurrit, nisi de ipsis expressa mentio fiat *c. quia vero de sent. excomm. in 6.* excommunicantes per sordes, v. gr. comminando censuras etiam latæ sententiæ in Edictis, vel Synodo contra Clericos deferentes scelopum venatorium, vel exercentes negocia, & officia secularia, ludentes aleis, vel celebrantes in Ecclesiis Monialium, vel contra laicos ducentes diebus festis choreas, aut Jumenta onusta, vel cum Sponsa de futuro conversantes: ut inde concessione licentiæ prædicta agendi, lucrum faciant, & de facto percipiant; si ejusmodi Episcopi inveniuntur, essent à Sede Apostolica severa animadversione corrigendi, imò, & a regimine saltem ad tempus removendi, quia fiunt odibiles, & contemptibiles, & ex hoc traduntur subditi in ruinam, & imminet periculum destructionis, ex traditis à Patris. de *resig. benef. lib. 5. quest. 3. num. 172. & 174.* nam peccatum Prælatorum maximum est, & si publicum fiat pestilentia æquiparatur, de Mar. *Sal. sapient. in psal. 103. ver. 20. §. 4. n. 2. in fin.*

*De excommunicatione ferenda contenta
in c. 1. de offic. Vicar. in 6.*

Vicarii, seu Officiales generales Episcoporum Suffraganeorum interdum, sive propter carentiam scientiæ, sive propter deficientiam prudentiæ jurisdictionem Metropolitanam, aut perturbant, aut co-

temnunt, vel etiam per Sordes in Officio delinquant: Unde Archiepiscopus, qui est in his casibus Judex Suffraganeorum, & eorum Officialium, si porrigatur querela per Promotorem fiscalem, vel per subditum suffraganei, & verificentur exposita, poterit Vicarium Suffraganei excommunicatione punire prævia declaratoria.

Sententiæ Declaratoriæ

F O R M U L A XXXI.

VIsis actis, & juribus coram nobis exhibitis, ex quibus constat de refectione appellationis per N. infra legitimum tempus ad nostrum Tribunal interpositæ a Decreto, seu Sententia vim definitivæ habente; *juris ordine servato lato*, seu lata à Vicario Generali Episcopi N. nostri Suffraganei, in causa verten. inter ipsum appellantem, & N. partibus ex altera: visa executione judicati non obstante inhibitione nostri Tribunalis, ac monitione cum præfixione termini ad comparendum, & allegandum, &c. sub pœna excommunicationis contra d. Vicarium exequuta, & attentata illius contumacia, dicimus, & declaramus d. Vicarium Generalem N. *in officio, & exercitio jurisdictionis graviter deliquisse, & jurisdictionem Archiepiscopalem, & Metropolitanicam læsisse, & propterea esse excommunicandum, prout nos eum excommunicamus, & excommunicatum esse declaramus, publicè per affixionem Cedulonum tam in hac nostra, quàm in Civitate N. denunciari volumus, & mandamus, cum, clausula, quod amoventes, lacerantes, vel deturpantes illos, etiam si Regulares sint, eo ipso excommunicationem incurrant.*

N. Archiepiscopus N.

S U M M A R I U M.

- 1 Appellatio à Decretis Episcopi datur, ubi adhibita fuit causæ cognitio, & num. 2. & 3.
- 4 Datur formula monitionis exequendæ contra Vicarium Suffraganei.
- 5 Relationi Nuncii standum est in pertinentibus ad proprium officium, non autem in aliis.
- 6 Citatio commissa à Tribunali Ecclesiastico, si exequatur in Ecclesia valida est.
- 7 Vicarius Generalis Suffraganei, non solum puniri potest ab Archiepiscopo, quando offendit, vel urbat illius ju-

N. Actuarius.

- isdictionem, sed etiam quando abutitur jurisdictione in damnum & gravamen subditorum, & reicitur Lotter. & n. 8. 9. 10. & 11.*
- 12 Episcopus Suffraganeus, non debet Edicto prohibere, quod in sua Diocesi non exequantur sine sua licentia provisiones Archiepiscopi.
 - 13 Vicarius Generalis Episcopi, si sit ex ordine Regularium, an, & quando possit (si delinquat) ab Archiepiscopo puniri, ostenditur, & n. 14. & 15.
 - 16 Regulares non debent ab Episcopis assumi ad officium Vicarii Generalis, & adducuntur rationes, & n. 17. *Can.*